

francisci Lamere D. M. m. II

DISSE^TRATI^O PHYSIOLOGICA, DE FLUXU MENSTRUO.

Cujus veritatem , Deo-duce & auspice Dei-
parâ , tueri conabitur in Augustissimo
Monspeliensi Apollinis Fano , ab horâ
octavâ ad meridiem , die mensis
Januarii 1745 , NICOLAUS SALMON ,
Nanceianus apud Lotharos , Universita-
tis Consiliarius , Artium Liberalium Ma-
gister , & Medicinæ Alumnus .

Pro Baccalaureatū gradu consequendo .
Vide Thesin Paris . acr Supp^{re}ssio
et immoderato Catameniorum
fluxui , Aperiensia .
Dec. 1743.

MONSPELII ,
apud JOANNEM MARTEL , Regis & Univer-
satis Typographum ,

M. D C C. X L V.

R. R. D. D.
PROFESSORES REGII.


ILLUSTRISSIMUS D. D. FRANCISCU
CHICOYNEAU, Cancellarius & Jude
Regi à secretioribus Consiliis, Archi
trorum Comes.

DILPUTATURI.

- R. D. Petrus Rideux, *Decanus.*
R. D. Antonius Magnol.
R. D. Henricus Haguenot.
R. D. Jacobus Lazerme.
R. D. Gerardus Fitz-gerald.
R. D. Eustachius Marcot, *Regis Medicus perpe
tuæ ordinarius.*
R. D. Antonius Fizes.
R. D. ~~Antonius~~ de Sauvages.

DOCTORES ORDINARI.

- D. Claudius Chaptal.
D. Franciscus Combalusier,
D. Thomas Fitz-maurice.
D. Franciscus Lamure. ~~auter~~
D. Salgues.



PARENTI SUO
COLENDISSIMO
JOANNI SALMON,
DOCTORI MEDICO.
NICOLAUS SALMON,
FILIUS OBSEQUENTISSIMUS.

*S*tudiorum primitias tuo nuncupare nomini
æquum erat, amantissime parens & in æter-
num colendissime ; quippe totus in eo fuisti sem-
per, ut illisce promovendis sedulò allaborares :
paterni juris oblivisci dignatus, non authori-
tate filium cogere, sed hortatu suasunque ami-
cum ad labores invitare voluisti ; cuncta tuæ
erga me amicitiae pretiosissima testimonia dum
revolvit animus, quantis, quam suavissimis
pertentetur gaudiis, eloqui non datur, sed ex-
periri sentiendo iis unicè concessum est, quos
valde paucos amicitia paternâ beavit adspirans

numen ; ô me felicissimum ! Exclamo sæpius,
qui eum sim natus parentem , de quo veris-
simè dicere ausim , quod de suo tam concinnè
olim Horatius.

..... si natura juberet
A certis annis ævum remeare per actum ,
Atque alios legere ad fastum quoscumque parentes ,
Optaret sibi quisque , meo contentus , onustos
Fascibus & sellis nolim mihi sumere

Vive itaque diù sospes , parens dilectissimes
sic concivibus expertissimum medicum , filio
tui amantissimo patrem amicissimum servare
velit entis supremi benignitas.

Dabam Monspelli die 8^a:
mensis Januarii anni 1745.

DISSE R TATI O



DE FLUXU MENSTRUO MULIEBRI.

DISSERTATIO PHYSIOLOGICA.

STATO mensis, ut plurimum, intervallo, cruor é pudendis muliebribus effluit, menstruus, inde dictus vulgatissimè. (a) Ex quo dogmatica incœpit vigere medicina, mirum quantum ingenia Medicorum torserit indaganda ratio hujus phœnomeni; sua cuique placent, hinc nata sententiarum diversitas eò inajor, quod res suâpte obscuritate difficillima, vix ullos imaginationi figmentorum avidæ limites præfigere quiverit.

Tot lites inter Viros clarissimos obortas à nobis componi posse non confidimus, probè conscií quid valeant humeri, quid ferre recusent: eorum itaque placita varia recensere non satagimus, sed unico veritatis amore perciti, quo ducet, saltemve ducere videbitur sequi sedulò annitemur.

(a) Aliis nomenclaturis insignitur idem effluxus. Mensium, catamœniorum, florum, malæ septimanæ, nominibus promiscue utuntur authores.

Conatibus nostris faveant lectores benevoli, erroreisque parcere velint quos certè non incuria fundet, ast ingenii tenuitas parùm cavebit.

Ut id omne quod ad excretionem quamvis activam (a) in humano corpore observandam attinet, undique perspectum habeatur, methodicam ineunti viam hæc inquirenda sunt.

Quænam sit hujus causa determinans, sive quod idem est, quid in humanâ machinâ superveniat quod arcessit eos motus ex parte solidorum, qui requiruntur ad eam inducendam.

Quænam sit causa efficiens, seu quænam & quonam modo partes sive mediatè, sive immediatè illi promovendæ aut efficiendæ pares sint: si vicibus interpolatis redierit excretio, evidenterissimum est illiusce redditus exponendam rationem, & demùm si quædam mutationes in animali œconomiâ eam antecedunt, aut subsequuntur, earum causam investigandam esse satis superque patet.

Sic v. g. dum urinæ expulsionem explicare satagitat Physiologus, urinam intrà vesicam depluentem ex ureteribus tum acrimoniâ, tum quantitate stimulantem hujusce cavi parietes, reperit causæ determinantis vices agere; vim contractilem musculi detrusoris, tunicaeque muscularæ prævio stimulo excitatam, videt esse causam qui producit immediatè excretionem; de-

(a) Omnes excretiones in animali œconomiâ comprehensæ dividuntur, in activas & passivas; passivas dicere liceat, quæ solis viribus circulationis effici possunt, uti transpiratio insensibilis, excretion bilis hepaticæ &c. activas autem quæ superadditam vim requirunt ut fiant, sic expulsio fœcum, urinæ &c. ad illas revocabuntur.

pletam semel vesicam non nisi post aliquod emen-
sum temporis spatium denuò repleri posse, dum
animadvertisit, cur non continuò, sed identidem
nictio fiat, evidenter edocebitur,

Sanguinis effluxum menstruum ad excretio-
nes activas reduci debere probabitur in sequen-
tibus, itaque propositâ methodo ejus mechanis-
num dilucidandum suscipimus.

Hinc tripartitæ dissertationis divisio sequetur,
eius pars prima determinantem & efficientem
causam rimabitur, secunda periodici redditū in-
vestigabit rationem, ultima tandem iis phœno-
menis explanandis impendetur, quæ dictam eva-
cuationem antecedere solent in virginibus præ-
ipue.

Coronidis loco quædam subjungemus quæsita,
quorum, saltem plurimorum, solutio ex prægres-
sis facile repetenda erit. Sic ordinis gratiâ totius
opusculi factâ divisione jam in ipso opere ver-
emur. Sit itaque.

De causâ determinante & efficiente fluxum menstruum.

Sanguinem menstruum per pudenda mulie-
ria viam sibi facere notum est omnibus; num
ex utero solo, num ex vaginâ solâ prodeat, dis-
utant plurimi. In hoc consentiunt omnes, hujus
sicut scaturiginem, vel ex alterutrâ, vel etiam
ex utrâque memoratâ parte repetendam esse.
nde necessitas patet in limine dissertationis ex-
ponendi accuratam harumce partium anatomen,
ui igitur operi incumbemus, & eò lubentiùs

quod (eā intactā, aut solummodo adumbratā rūditer structurā) quæ sumus dicturi haud quam intelligi possint.

I.

Uterus pars est in fœmineo sexu reperiunda vesicam inter & intestinum rectum, intus cava, pyrum aliquo modo compressum figurā æmulans, magnitudine varia pro diversā ætate, prout venere vel usa est vel abstinuit mulier, ita ut in adultis major sit quam in junioribus, in vetulis maximè contracta, in uxoratis præcipue matribus grandior, quam in virginibus: longè notabiliorem quoque molem obtinet graviditatis tempore quam alioquocunque, neque interim minus crassa. (a)

Dividitur in fundum latiorem, superiorem ab omni connexione arctâ liberum, & cervicem angustiorem, vesicæ, intestinoque recto cohaerentem, sui extremo penis glandem fermè ad amussim exhibente, diductis parùm orifici transversim positi labiis, patulam in magnun uteri ductum, seu vaginam.

II.

Totam hanc molem obvestit capsula membra nacea quam suppeditat peritonæum ad hujus partes laterales duplicatum, & inde laxè exsum in vicinos pelvis parietes; hæ peritonæum

(a) Graaf. Devent. Heister. Morgag. Fizes de generat. aliquam plurimi.

PHYSIOLOGICA.

expansiones ligamentorum latorum nomine insigniuntur quæ à tubarum ligamentis sunt distinguenda. (a)

Ex parte laterali supernâquè fundi uterini infra tubas, prosilire videntur duo fasciculi subrotundi, membranâ duplice circumvestiti, magnâ parte vasculosi, fibris lacertosis obmuniti, ascendentes inter peritonæi duplicaturam ad usque inguina, ubi transmeant annulos abdominales, & exin descendendo disperduntur in partes externas pubis, & pudendi muliebris labiorum, subsistentibus tamen quibusdam fibris adessa pubis (b) & ibi expansis in speciem quamam aponeuroseos subtilissimæ: hi fasciculi, ligamenta rotunda, funiculi vasculares uteri, nunupari solent.

III.

Uteri substantia rimatu difficillima præcipue mulieribus, ex collatis celeberrimorum Anatomicorum observationibus in gravidis, puerperis sedulò pluries institutis, hæc videtur esse. Detractâ exteriori membranâ (II.) apparent

Ea pars quæ alis vespertilionum simillima dicitur, distingua est ab „ reliquâ inter pelvis latera atque uterum, vaginæ interjectâ; hæc enim utpotè pelvis lateribus commissa, nenti uteri lati & officium & nomen servare potest; illam in quippe exteriore extremo solutam, non uteri quidem, ubi ligamentum vocari malim. “ Morgag. adver. 4. pa. 49. de mirum est citari Morgagni quasi diceret partem quæ alis vespertilionum simillima est, ligamenti lati & officium & nomen e debere, uti præstitit D. Fournier de catam. p. 13. Bauhin. clar. Lieutaud.

DISSERTATIO

plures fasciculi carnei (*a*) diverso versu ordinarii, reticularem apparatus contexentes, intrâ cujus reticuli interstitia (*b*) membranæ molles dispositæ, videntur fulcire sinus (*c*) peramplos sanguiferos, secum invicem communicantes cum arteriis & venis continuos, intra cavum uteri hiantes (*d*), quod probant, flatus, injectione compressio uteri sanguineas exprimens, lymphaticasve guttulas, imò & ipsa dissectio peritissimum Anatomicum (*e*) edocuisse conjicere licet.

Uteri interiora versùs fundum, scatent foraminulis in sinus exorrectis, fortè intermedii ductibus peculiaribus, quos ramificationum laterali concursu cinerea corpuscula Malpighii Vieussienioque descripta efformare non improbabile est (*f*). Ibidem quoque conspici potest muscularis apparatus externo penè similis (*g*). Interna cervix aspera est, rugis assurgentibus aliquantum transversim positis, valvulas utcumque æmulantibus (*h*) quas inter, & lacunæ, folliculi mucosi observantur. Hæ rugæ confidentur ex duplicatâ membranâ interiori subtilissimâ (*i*), porosissimâ, lævi versùs fundum

(*a*) Malpig. de utero. Morgagn. Heisterus. Littrius &c. nec negot Graaff imo disertè admittit in tractatu de organ. muli. ut perperam citetur à D. Fournier de catain. p. 12.

(*b*) Malpig. de utero.

(*c*) Fernel. p. 40. Riolan. Antropog. qui sanguinem ait e nis defferri intrâ uterum in cavernulas quas vocat cotyledon pag. 303. Ibidem excitat Carol. Steph. faventem. Roderi. à cas de morbis mulierum. pag. 23. Morgag. adv. 4. pag. 47. Vieuss novum systema. vas. qui describit, tubulos quos dicit vesiculo lymphaticos, pa. 2. & sequitur Malpig. Heister. comp. an pa. 108, Monroe acta. Edenb. to. 2. Littr. act. acad. par. 170 Bartholi. anat. refor.

sed inæquali, eâ parte quâ cervicis parietes obducit, uti modò dictum est.

IV.

Vasa habet uterus sanguinea, lymphatica, & nervea: 1°. neque ex unâ origine prodeunt arteriæ cruentem vehentes ad illud viscus; quippe alias suppeditant & copiosissimas quidem trunci hypogastrici, alias spermatici rami decurrentes inter ligamenti lati duplicaturam; demum juxta quosdam (k) nonnullæ ramifications accedunt ab interno hæmorroidali ramo, & ab arteriis epigastricis; repunt hi canales flexuissimo decursu inter membranas uteri descriptas, partimque in earum substantiam distribuuntur, partim abeunt in sinus descriptos, (III.) & eorum interventu in ipsam uteri cavitatem liquorrem suum effundere possunt identidem, partim denique intrâ cavum hujus visceris in lymphaticos ductus subtilissimos rectâ emissos desinunt juxta plurium Authorum opinionem.

Arteriæ uterinæ secum omnes communicant

(d) Malpig. de utero, Litt. loc. citat. Morgag. adver. 4. pag. 8. Fernel. Riol. Fanton. quem excitat. Heister. p. 108.

(e) Quosdam tubulos vesiculofo-lymphaticos deduxit ad paries arteriar. & venar. uterinar. Vieuss. loc. cit. & ibid. pronuntiat x extremis lymphaticis humorem depluere in uterum, ut mirum sit virum & eruditum & Monspeliensem sibi affinxisse lymphatorum in utero dehiscentium repertorum gloriam quod fecit D.ournier de catam. pag. 32.

(f) Malpig. loc. citat. Barthol. pag. 167.

(g) Morgag. pag. 47. adv. 4.

(h) Morgag. adver. 1. pag. 13.

(i) Morgag. ibid.

(x) Barthol. pag. 165. Boerthav. n. 664.

miris anastomosibus quas flatus, injectio, facilimè demonstrant.

2°. Venæ quæ sanguinem asportatum vasis memoratis revehunt, valvulis carentes, ortæ ex iisdem locis in quibus arteriolas congeneres definere diximus, terminantur ad hypogastricas, spermaticasque venas, uno verbo in truncos arteriis respondentes venosos.

3°. Vasa lymphatica quorum exortus jam sub-indicatus (1°. hujus) venosa facta, valvulis instructa serpunt in utero muliebri sub exteriori membranâ, tenduntque verosimillimè ad commune receptaculum, hæc in brutis jamdudum cognita, primùm in muliere observata videntur à clarissimo Morgag. (a)

4°. Nervos habet ea pars quam describimus ex sympathico magno, lumbaribus & sacris prodeuntes & in suam substantiam subtilissimè distributos ubique.

V.

Vteri descriptæ cervici circumadnascitur oblique (b) canalis amplius, exinde vesicam inter & intestinum rectum quibus arcte cohæret, incendens, terminatus ad inferiora sinûs muliebris. Hunc canalem dixerunt vaginam, seu ductum magnum uteri, cuius etiam collum apud nonnullos paulò antiquiores audit.

Substantia membraneo-nervea est, intus aspera in virginibus præcipue, assurgentibus rugis non

(a) Advers. 5. pag. 76.

(b) VVinsl. Traité du bas ventre.

circularibus (*a*) sed versus posticas partes interrupsis expansione quâdam tendineâ, nerveâve, has inter obseruantur series papillarum, plus minusve distinctarum, sensus venereos acuentium, & lacunæ satis crebræ, orificia ductuum ex protatis muliebribus orientium existimatae; extus fibræ carneæ longitudinales, vesicæ detrusori parallelæ, (*b*) vasa omnigena, sed & pauciora, & minus flexuosa quam in utero (*c*), ab hæmorroidalibus & hypogastricis prodeuntia; demùn plexus reticularis corporibus cavernosis clitoridis similimus, & cum ipsis communicans juxta nonnullos (*d*) cui supersternitur sphincter satis amplius, canalis ambiens orificium quod angustatur in virginibus non menstruatis potissimum, membranâ hymenæ, in defloratis aut cataincœnia passis nimio impetu fluentia, carunculis myrtiformibus.

Arteriæ huncce ductum irrorantes ab hypogastricis & hæmorroidalibus veniunt, uti dictum est, venæ ad congeneres truncos revehunt sanguinem delatum arteriis, communicant hæc vasa cum uterinis potissimum in parte superiori ductus. (*e*)

Vasa nervea ex sacris præcipue deducenda sunt. Sic præmissâ uteri vaginæque fabricâ non absere erit observationes quasdam anatomicas ob oculos ponere, queis fulciatur id omne quod deinceps proposituri sumus, quædam etiam ante dic-

(*a*) Morgag. advers. 4. pag. 45.

(*b*) Parsons, Traité de la vessie.

(*c*) Graaf. pag. 130.

(*d*) VVinsl. Traité du bas ventre, non consentiente Graafio.

(*e*) Graaf. pag. 122.

ta, sed paulò pressius revocare, ut potè magis immediate ad thema nostrum referenda.

VI.

Observata & postulata anatomica.

1°. Vasa uteri sanguifera tum venosa tum arteriosa directè hiant intrà sinus uteri descriptos (III.) iique sinus reticularibus uteri fibris circumdati, vel mediantibus exilissimis lymphaticis ductibus, vel foraminulis suis immediate aperiuntur in uterini fundi capacitatem; vide aut. citat. (III.)

2°. In cadaveribus mulierum quæ durante menstruo fluxu, fato functæ erant, uterum crassum, tensum, hujus vasa sanguifera cruore turgida, hunc leni pressu fundentia in uteri cavum plurimis poris sensu obviis, multiplici luculentaque observatione reperit Littrius act. acad. Paris. an. 1720. pag. 20. habet consentientes Dionis nouell. anat. pag. 254. Thom. Barthol. anat. refor. pag. 162. ita ut non magna fides adhibeatur Graaf. contrarium afferenti de mulier. organ. pag. 140. prout adhuc melius patebit expendenti hujus rationes. ibid.

3°. Eadem foramina quibus diximus (III.) pertundi, faciem internam observavit quidem in utero mulierum quæ prægnantes supremum diem obierant, sed multo minora quam in iis quæ membris adhuc dum fluentibus occubuerant, & ex illis non nisi materiem albescensem exprimere potuit. Littr. loco. supr. citat.

4°. In mulieribus uteri prolapsu laborantibus

tam notabili ut adusque marginem vulvæ descendisset, semper deprehendit ex uteri cavitate solâ, neutiquam ex vaginâ prodire menses Littr. ib. eamdem sententiam firmant propriis observatis Morgag. adv. 1. pag. 45. Heister. comp. anat. pag. 310. Sanctor. quem excitat Morg. adv. 4. pag. 49.

5°. Emergentem ex uteri fundo fluxum menstruum docent autopsia duce Winsl. Traité du bas ventre. Higmor. citant. Graaf. authores plures quos tamen innominatos citat Roderic. à castro de naturâ mulierum cap. XI. plurimique alii quos apud Heisterum, Morgag. citatos reperire est.

6°. Puella sanissima ante effluxum menstruum, & eo peracto ponderata exactissimè, iisdem horis, iisdem prorsùs vestimentis induta, jejuno ventriculo, idem pondus præcisè exhibuit in utroque casu. Quatriduò perduraverat effluxus, observatio bis instituta in duobus subjectis, eodem modo semper cessit.

VII.

Ex observatione secundâ (VI.) patet evidenter non eamdem toto mensis decursu crassitiem servare uterum, proindeque inæqualiter hoc temporis intervallo ipsius turgere vasa, eoque magis quo propius instat eruptio sanguinis menstrui; sensim itaque replentur distendunturque sinus (III.) distentique, propter situm necessariò distrahunt circumjectas fibras musculares. (III.) Quid vetat quominus credi possit esse præ-

criptum in hac fibrarum distractione limitem, ultra quem, aut ad quem usque deferri non possint, absque sensus aliqualis molesti excitatione, quo posito in contractionem muscularam aguntur, suaque vi premunt interpositos sinus, sanguinemque exprimunt quam datam portant certe quid simillimum hucusque physiologi admisere, dum pro causâ determinante expulsionem urinæ, fœcum excretionem agnovere tum vesicæ, tum intestini recti distentionem ultrà limites quos determinare (cum in uno quoque individuo diversi sint) nullus adhuc suscepit; sequeretur inde non aliam esse querendam causam quæ cruentem è pudendis muliebribus effluentem determinando cieat, præter illam repletionem sinuum descriptorum intra quos menstruo, ut plurimum, temporis intervallo eam copiam sanguis colligitur, ut musculi reticularis vim & energiam excitet; quæ porro consequentia ita simpliciter deducta, reliquis in œconomia animali observatis tam congrua nobis apparent, ut eam admittere nullo modo renuere possimus. Itaque nostra de causâ determinante effluxum menstruum sententia expressa est.

VIII.

Siccinè, non nulli inquiet, penitus subversa erunt quæ de plethorâ, tanquam causâ determinante excretionem menstruam tam ingeniòsè, sapienterque Galenus excogitavit, tantum cum sedulitate defenderunt inter antiquiores medicos celeberrimi, demum tam concinnè, totque novis rationum momentis firmata unus ad

instar omnium perspicacissimus Freindus exaravit? illud equidem summorum virorum authoritati tribuendum, ut res attentiùs examinetur, antequàm quidpiam oppositi ipsorum sententiæ statuere quis audeat. Fatemur, nec laborem renuiimus, sed cautè procedendum in hac disquisitione, vis vocum accurate stabilienda, ne quid æquivoci exurgere possit, rationes utrimque sedulò perpendendæ sunt, siquidem difficultates enodare, non effugere satagimus, porrò.

Plethorae nomine indigitarunt antiqui medici quàm plures, eam sanguinis exuperantiam, quæ à vasis neutiquàm regi potest; hinc nata plethoræ divisio, in puram & impuram, veram & falsam, in eam quæ ad vasa est, & ad vires. Hac definitione admissâ solummodò duæ distinctiones priores propugnari possunt.

Alii & recentiores quidem plethoram definiuerunt eam sanguinis boni abundantiam quæ lœdit functiones: si moles hujus ita adaugeatur ut plus distendantur vasa quàm fert consuetudo, & status naturalis individui in quo hæc considerantur, plethora est ad vasa; sin minùs eadem sanguinis quantitate datâ, aut etiam minori, quàm quæ est in statu physiologico, propter vim systalticam vasorum maximè debilitatem, lœdantur functiones, tunc plethora erit ad vires.

Alia iterùm dari potest plethoræ divisio, in universalem scilicet & particularem; universalis, dum omnia corporis vasa patientur, particularis dum quædam dumtaxat hoc laborabunt yitio, utraque modo dicta rursùs esse potest,

vel ad vasa, vel ad vires, ut vel levissimè at-
tendenti evidens est.

IX.

Indè deducetur; 1°. Plethoram juxta recen-
tiores, universalem ad vasa, comitem semper
adsciscere sibi ideam ponderis reverà adaucti ad
stateram, particularem eodem modo considera-
tam dari posse, quin tamen totale corporis pon-
dus immutetur. Perindè enim est ad integrum
machinæ pondus, sive quantitas materiei cui res-
pondet per vasa omnia distribuatur, sive intrà
quædam paulò majori copiâ præsens sit, quam
in reliquis.

2°. Dum plethoram admittunt velut causam
menstruas excretiones determinantem, hoc in-
telligi posse dictum de plethora universali, vel
particulari, rursus de utrâque vel conjunctâ cum
pondere totius corporis adaucto, vel non; si priùs
accipiatur, & quis præfractè tueri velit non cie-
ri fluxum menstruum, nisi præ copiâ humorum
quæ pondus corporis adaugeat sensim ad præ-
fixos terminos; tunc quomodò hæc stare possit
opinio cum observatione 6. (VI.) non satis asse-
quimur; quippè evidenterissimum est in hâc hy-
pothesi debere corpus plus ponderare ante ex-
cretionem, quam eâ peractâ; secùs ac docet
experientia.

X.

Neque illud experimentum quidquam habet
quod contradicat Freindi observationibus, nam

summus ille vir asserit quidem fœminam expurgatis mensibus, eumdem obtainere corporis statum, quo sub periodi menstruæ initium fruebatur, quod lubenter credimus, sed debebat inquirere, ni fallimur, utrùm idem esset pondus muliebris corporis sub initium periodi, & sub finem, quo nimirum tempore jamjam menses effluxuri erant, de quâ circumstantiâ prorsùs silet. Quod si plethoram particularem valorum uterinorum quis admittat, sed quæ tamen adsit absque pondere corporis absolutè adaucto, tunc nobiscum idem sentiet, neque per nos stabit quin causa determinans fluxum menstruum, habeatur plethora particularis hoc modo intellecta.

Nequè tamen hæc à nobis dicta credantur, quasi vellemus negare plethoram sensu recentiorum intellectam, usquàm reperire in iis quæ fluxum experiuntur menstruum, credimus enim è contrâ tantò citius distendendos sinus uterinos, quantò magis urgetibit copia humorum in toto corpore; sed eò loci de causis agitur sine quibus non potest effluxus determinari; porrò plethoram pondus corporis adaugentem, talem esse causam prorsùs inficiâs imus, & hoc solummodo minus faventes clarissimos viros antea citatos habemus.

XI.

Non diffitendum tamen ex observatione sextâ (VI.) non nihil sequi quod paulò difficiliùs intelligi posse videtur; enim verò notabilem sanguinis quantitatem excerni perstante effluxu, & proindè materiem, cui respondet pondus, im-

minutam esse quoad copiam (saltē quantūm sensus jūdices esse queunt) negari non potest; quomodo itaque sit; eumdem permanere statum post excretionem, qui, eā instantē, observabatur. Experientia certissima est, & omni curā peractam fuisse testamur sincerissimè; undē fit ut suspicari liceat reliquas fortè secretiones tum minus copiosè celebrari, p̄ æxprimisque insensilem transpirationem (*a*) cuius quantitas in statū naturali, cum ad plures libras ascendat, potest quolibet die effluxūs imminui aliquatenūs, & sic retenta supplere quod per excretionem uterinam desperditur: hoc in gratiam explicandi phœnomeni proferimus, non tamen ita præfracte tuemur, quasi nullam aliam dari posse explicationem contenderemus, sed observationem verissimam esse iterum iterumque asserimus & quilibet, occasio si detur, pluries iterando idem propriâ experientiâ confirmare poterit.

XII.

Verūm numquid mulieres æquè perspirant ac viti? numquid vires imbecilles, temperamentum humidius, exercitii defectus, contrarium

(*a*) Dum caput dolore gravatur, statim corpus incipit minus perspirare & ponderosiùs reddi. Sanctor. aphor. XLI. quilibet corporis dolor sive labor cocti perspirabilis transitum impedit. Sanctor. aphor. XLIX. porrò plurima phœnomena aliquantum morbosā præcedere aut comitari hunc effluxum videbimus in sequentibus; undē nostra conjectatio firmior evadit.

evidentissimè demonstrant : esto (*a*), sed indè sequitur admittendum necessariò plethoram congeri in fœminis quolibet mense ; non ita liquet ; quippè num mulieres ~~ad~~ eâdem quantitate cibos & potus assumant ac viri ? num per excretiones sensibiles , alvum , urinas , sputa , æquè dumtaxat deperdant , secusve , nullâ adhuc quantum scimus observatione indagatum est. Et hæc tamen , uti videbitur cuilibet attendenti , inquirenda & stabilienda erant , priùs quàm ex consideratione perspirationis copiæ in mulieribus imminutæ quidquam deduci posset , quod plethoræ faveret adstruendæ ; sunt tamen hæc præcipua quæ urgent plethoræ menstruæ defensores , quæ quàm firmo innitantur fundamento , dicta truñanti pensiculatiùs lectori judicandum relinquimus.

XIII.

Sic propositâ , & pro modulo firmatâ (VI. ad XII.) causâ quæ determinat effluxum menstruum , quænam sit hujus causa efficiens non arduum erit determinate , modò ad posituram sanguinis uterinorum (VI. I.) attendatur , quippè si-

(*a*) Vix credibile est quantum frontibus adversis secum pugnatio celeberr. Freindus eloquatur de effectibus ex temperamento humidiori , laxiori , expectandis , habito respectu perspirationis imminuendæ vel adaugendæ ; siquidem emmen. cap. 3. ex compage molliori deducit imminutam in mulieribus perspirationem ; cap. verò octavo ex pari contextu adaugendam perspirationem in pueris pubescentibusque contendit ; cap. 8. in pueris poros apertiores deducit ex proclivitate in sudorein , quam admittit in fœminis cap. 3. junctam tamen cum pororum exilitate.

bræ illisce sinubus circumjectæ, eâ ratione distractrahuntur, quâ magis magisque turgescunt illi sinus, tandem delatæ ad certum usque distensionis gradum vix determinandum, musculariter contrahuntur, eâque vi nituntur recuperare pristinum, è quo dimotæ fuerant, statum; hoc autem fieri non posse evidens est absque eo quod sinus interpositi validè premantur, sanguinemque suum emittant per patentes vias; porrò sinuum orificia, quâ parte spectant uterus, libera sunt, utpotè conspicua sine præparatione, ergo liquor intrâ eos contentus, undequaque pressus maximè, urgebitur versùs uteri cavitatem, quo usque viribus iisdem permanentibus dilatata orificia rubrum sanguinem admittant, ex utero instillandum viâ quasi regiâ in vaginam, & ex in extrâ corpus. Sic (namque appositissimum videtur exemplum) lotio sensim turgescit vesica hujus fibræ distractrahuntur ita successu temporis, ut sensus quidam molestus subnascatur, quem excipit contracratio eorumdem ad usque integrum fermè cavi exinanitionem.

XIV.

Indè deduces menstrui fluxūs excretionem inter activas excretiones recensendam esse, juxta definitionem datam illarum se excretionum initio hujuscē theseos; neque enim sufficit sola dilatatio sinuum à sanguine affluente, quod satis superque patet ex observatione tertia (VI.) nam tempore graviditatis certè, multò magis quam usquam observari potuit instantibus mensibus, tur-

gescunt sinus descripti , neque tamen tunc emit-
tunt eorum orificia quidquam aliud præter hu-
morem lacteum, cruore minùs crassum uti no-
tum est omnibus ; undè facilè conficitur vi su-
peradditâ sinuum foramina dilatari dum trans-
mittunt partem rubram , uti accidit dum fluunt
menses , aut lochia puerperis.

XV.

De periodis effluxūs menstruī.

Non indesinenter fluit è muliebribus pudens
cruor menstruus , uti vel ipsâ nominis vi li-
quet ; ast interposito, ut plurimū , mensis uniūs
spatio ; neque etiam quovis vitæ mulierum tem-
pore hæc observatur evacuatio ; verùm prima
sui dat indicia , circà decimum tertium ætatis
annum , hujusque rivi clauduntur subfinem sep-
timi septenarii ; hoc docent observationes absque
eo quod tamen negari possit , summam animad-
verti in iisce varietatem pro diverso climate , di-
versâ temperie , variâque vietûs ratione ; mens-
trualis redditûs causas inquisivere diligenter quâm
plures physiologi , nec obliti sunt expendere cur
determinata dumtaxat ætas fœminarum . tale
phænomenum exhibeat ; hâc de re mirum est in
quantam opinionum diversitatem authores dis-
trahantur , quamque fabulosa nonnulli excogi-
taverint , quæ recensere , multò minùs refellere
nostrî non est instituti ; properamus itaque ad
eorum expositionem quæ de eodem argumento
verisimilia posse nobis videntur.

XVI.

Cur itaque non jugiter, sed identidem pro-rumpit menstrualis crux? attende ad causam determinantem propositam (VII.) facilèque intelliges, eâ solummodo instantे & velut instigante, vires excitari in machinâ, quibus hæc evacuatio debetur; porrò eâdem ipsissimâ vi quâ causa efficiens excitata (XIII.) agit, determinantis efficaciam tolli necessum est, sublatâ nimirùm, tunc temporis, sinuum uterinorum turgescentiâ; ergò dum viribus suprà dictis (XIII.) illi sinus hunc amplitudinis gradum denuò obtinebunt, quem habebant sub initium periodi necesse est causæ efficientis actionem, ut potè non stimulatam, prorsùs evanescere; quæ tamen actio requiritur absolute (XIV.) ut sanguis ruber minima sinuum intrà fundum uteri dehiscentium orificia pervadere queat; proindè cef-sabit effluxus trium vel quatuor aut etiam sex diérum spatio, prout citius, vel tardius deplebuntur illæ cavernulæ, quæ sanguinis menstrui copiam suppeditant; depletæ verò illæ cavitates cum multò magis obsequiosos parietes nactæ sint, quam extrema arteriæ vel venæ (quod vel ex eorum formatione, dum reliqua uteri vasa satis uniformiter evolvuntur, abundè liquet) indesinenti circulationis motu crux iterum accipient, cuius quantitas omnis ad eos delata, non subire poterit venulas sanguineas (IV. 2.) eâdem ratione quâ appellit, propter defectum motus systolici parietum interim validè dilatabilium;

Sic quolibet cordis ictu suppeditabuntur sinibus aliquot globuli sanguinei intrà eorum cavitatem subsistentes , eos sensim expansuri , effectusque inducturi (VII.) quo usquè distentione datâ ad præscriptos limites , excitetur energia causæ efficientis redundantem in uterô sanguinem expurgantis per vias antea memoratas ; iterum itaque depletio fiet , quam subsequetur repletio tempore menstruali ad requisitum deferenda gradum. Et sic omnia fient ut (XIII.) excitatâ alternatis vicibus actione sanguinem exprimente (stimulusque dum cessat) eâdem enervatâ , haud arduum est intelligere cur effectus causæ suæ semper proportionalis non continuò sit conspicuus , sed interpolatâ vice dumtaxat exhibeat.

XVII.

Neque opponi poterit cruorem desinente etiam musculi reticularis circumpositi contractione , per vias semel reseratas debere moliri exitum versus uteri fundum , sique effluxum perennare ; nam orificia sinuum eodem gradu dilatata persistare , dum cessavit actio muscularis , neutiquam concedetur ; quippè hæc ampliatio effectus est vis illius superadditæ , & urgentis validè sanguinem in illa orificia (XIII.) ; ergò simul atque supponetur desiisse hujus efficacia , debebit necessariò admitti eam esse sublatam causam quæ dicta dilatabat foramina , itaque tunc ea nativo elatere ad pristinum angustiæ terminum redire.

Hæc quidem difficultas summi ponderis esse videtur adversus eorum opinionem , qui tuen-

tur ab impetu circulantis sanguinis uterina expandi vasa emissaria , quoisque rubrum admittant sanguinem ; enim verò cum nulla sèpissimè differentia reperiatur in pulsu menstruantium perstante effluxu , & sub initium periodi sequentis , vires circulationis easdem esse in utroque casu patet ; cur itaque si sufficerint ad expellendum cruentum sub finem effluxus , ipsum stillicidium non foverent.

Quod si quis quæsiverit quarè ii statuantur limites contractioni fibrarum sinubus circumjectarū ; cur verò potius non continuò agant , ad usque integrum exinanitionem sinuum , appressisque hâc actione eorum parietibus , eos novo sanguini reddant impervios ? is quæso velit exponere cur arteriæ dilatatae , iterum se contrahant solummodo ad expulsionem sanguinis transfluentis superadditi , neque penitus depleantur ? quæ dabitur ad hoc quæsitum responsio , eâ uti poterimus ad solvendam quæstionem propositam : non itaque gratis , sed analogicè , ex cognitis , sensu obviis , ad incognita aut saltem penitus recondita ratiocinamur , quæ methodus nedum probata , sed suasa est à peritissimis Viris , sola- que videtur , cui possit insisti dum abstrusiora quæcunque naturæ phœnomena indagantur , quod enim esse demonstrat experientia in iis quæ sensus attingere potest , possibile in reconditionibus ejusdem generis admitti quid vetaret ?

XVIII.

Neque multò difficilius haberi poterit cur

inenses effluere desinant sub finem septimi septenarii , satis constanti naturæ lege , neque priùs manifestentur quàm virgo decimum & tertium ætatis annum attigerit ; quippe non erumpere posse catamœnia , priusquam adsit eorum causa determinans , abundè liquet ; hanc autem ante evolutionem conceptaculorum uterinorum , nullam esse satis evidens est ex dictis. Portò sicuti experientia demonstrat spermatopæa vasa in virili sexu non evolvi , eo modo quo fœcundando apta sint , nisi circa illud vitæ tempus , ita idem esse verum de partibus mulierum genitalibus , magis quàm verisimile ex analogiâ deduci potest ; unde eruetur , nonnisi eodem tempore , congeri posse sensim intra uterum , eam sanguinis quantitatem quæ distrahendo fibras motrices hujus visceris , causam effluxûs efficientem accersere queat ; hinc prout citius vel tardius juxta diversa temperamenta , juxta diuersam regionem , incrementi acmen adipiscuntur fœminæ , citiorem vel tardiorem menstruallis croris eruptionem observari necessum est à priori , & observationibus confirmatur , quippe in regionibus calidioribus sæpiissime duodecim ætatis annum antevertere illam evacuationem , tuncque virgines esse viro maturas certissimum est.

XIX.

Ex hac theoriâ satis facile intelligitur , quâ de causâ non infreuerter post primas menstrui effluxûs eruptiones , incrementum adhuc capiant virgines , quippè sicut in viris sperma-

topærum evolutio, non supponit absolutam reliqui corporis accretionem, ita neque in fœminis uterinorum vasorum expansiō; hoc autem phœnomenum non ita explicatu obvium est in eorum hypothesi qui plethoram universalem pro solâ causâ menstruum ciente cruorem admittunt, nam redundantem in machinâ humana sanguinem agnoscere, dum vasa supersunt adhuc evolvenda, aut elonganda, dum repleri eadem; in diesque firmari debent, non admodum rationi consentaneum, primo saltem intuitu videtur: hujus difficultatis momentum multò validius premit quām plures plethoræ defensores, qui disertè pronunciant, non priùs virginem experiri fluxum menstruum, quām incrementi sui gradum ultimum attigerit; illi enim apertissimè contradicunt experientiæ, quod ad præstandum fortè vel inviti ducuntur hypotheses necessitate; quæ si conjectatio vera foret, non infirmum adversus plethoram saltem universalem argumentum suppeditaretur, uti evidens est.

XX.

Sanguinis menstrui rivos claudi debere sub finem septimi septenarii docet attentio facta ad sequentia quæ quotidianis compróbata experimentis, à nemine revocantur in dubium.

1°. Scilicet vasa corporis humani eò rigescunt magis, minusque proin distensilia fiunt, contractiora, quò magis illud ad senium vergit; quod quidem etiam peculiaribus observa-

tionibus confirmatur de utero, quem duriorem, contractumque magis repetiunt Anatomici in vetulis.

2°. In senibus multò copiosiores sunt excretiones sensibiles, teste Sanctorio, & experientiâ. Quid ex iis? sanguinis intrà seniorum vasa fluentis quantitas parcior fit, languet pulsus, debilitanturque vires musculares; appropinquante senio sensim obrigescit uterinorum sinuum parietes, minus fient obsequiosi sanguinis apellentis impetu; ipsamet cruris appulsi copia minor erit, tūm propter imminutam humorum circumductorum molem, tūm propter virium quibus propellitur debilitatem; ex utrâque illâ causâ sequitur facile causæ determinantis effluxum menstruum absentiâ, eâ ratione futurâ, quâ magis magisque obrepet senilis ætas in muliere; languent quoque tunc vires musculares, quibus superadditis sanguinem diximus exprimi menstruum, hinc nova causa hujus evacuationis suppressæ. Quæ omnes causæ si pedentim serperint, inergiam exerant proportionalem in omnibus corporis muliebris partibus, simul, tunc absque ullo incommodo desinet effluxus, sin minus, plura orientur mala, quæ recensere præsentis non est/ instituti.

Hæc de periodis dicenda erant, & quidem satis compendiosè, ne crambem uti, vulgò aiunt, recoxisse nimis diu videamur, quippe quæ stabilivimus circà causas effluxûs menstrui, vix in periodorum doctrinam aliquot pauca invenere, quæ jam ab aliis sæpius non dicta fuerint.

*De phœnomenis eruptionem menstruorum
antecedentibus & concomitantibus.*

XXI.

Evacuationem menstruam solent antecedere, comitari, sed in virginibus præcipuè, dolor gravatus ad regionem hypogastricam, coxas, lumbos relatus, hæc circa loca præprimis calor ingens, lassitudo femorum, totiusque corporis, tensum abdomen, non raro dolens, appetitus remissio, mammarum intumescentia; rubet facies, dolet caput, palpebræ livescunt: hæc præcipua sunt symptomata quibus misellæ virgines, ut plurimum, conficiantur, dum primas effluxus menstrui patiuntur vices; dixi, ut plurimum; quippe in nonnullis dolores quidem sæviunt intensissimi, sed frigescit corpus, pallent ora, urgenter frequentia animi deliquia, dantur uno verbo, phœnomena quibus fractas esse vires circulationis, indicari notissimum est.

Harumce supervenientium instantे effluxū perturbationum rationem indagatur, & quantum in nobis est, brevissimè exposituri; binis, tanquam ratiocinii fundamentis, utemur principiis, quæ falsitatis evinci non posse quotidiana demonstrat experientia.

XXII.

1º. Nudata in cane viventi arteriâ curali cum ramusculis collateralibus, observare erit, seculo

trunco, ramos inter cor & locum sectionis vicinos, maximè detumescere, aut apertos, sanguinem minùs emittere; clauso autem vase, contraria planè contingere; hoc est, uti liquet, vicinos ramos notabiliter intumescere, sectosque abundantiores sanguinis effundere rivulos. Ferren. thes. disp.

Hujus experimenti veritatem firmat inflammationis, suppurationisque theoria, quippè obstrutis arteriarum sanguiferarum capillamentis vel integris, vel ruptis, in utrōque casū, magis, magisque datos intrà limites, vicina turgere vasa, demonstratur evidentissimè. (a)

2°. Ad vasa corporis animati tūm acri stimulata, tūm quocunque modo, sanguinem transmittere impedita, urgentur humores impetu validiori, cordisque insurgunt vires, eò potentius, quò animal robustius est in quo capitur experimentum; hocque in ipso homine verūm quotidiè probant, injectæ quibusvis partibus corporis ligaturæ, aut iisdem applicata quævis acria, purgantia, rodentia. &c.

Hæc utrūm principia omnimodè sint iis consenteantia, quæ vulgo docent hydraulici sua in machinis inanimatis experimenta instituentes, non multūm curamus, quippè eò loci agitur de animatâ machinâ, cui itaque, ni turpiter fallimur, prædicta possunt & debent applicari, itaque.

XXIII.

Sollicitatis ad contractionem fibris uterinis

(a) Clar. Fizes, de inflamat. & suppur.

(XIII.) sinus interpositos, vasaque interdecurrentia comprimi necessum est; hinc, 1°. sanguinis intrà ductus alveosque uterinos contenti crescit nifus in horum parietes; nam reactio actioni æqualis est, vique muscularis textūs circumjecti superadditâ, parietum actio in sanguinem intenditur; 2°. propter resistentiam majorem ex compressione natam, adaugetur impetus quo feruntur humores ad uterus (princ. 2^{um}. XXII.) indè causa altera quæ vasorum uterinorum latera premit efficacissimè: hæc itaque vasa, dum in muliebri corpore molimina exercuntur ad evacuandum sanguinem menstruum, multò magis validè prementur quam antea, eoque potentius quò conceptaculorum orificia in uteri fundum dehiscentia mirùs erunt obsequiosa; continget itaque hinc temporis in utero mutatio simillima huic quam inducit corpus quodlibet, quamvis nostri corporis partem comprimens in solito nisu, sed ex tali compressione sensum gravitatis excitari notissimum est, qui refertur ad partem affectam, ergò analogè ratiocinando, concludere poterimus, ad uterus, propter similitudinem causæ inibi vigentis similem quoquè referendam esse sensationem, hoc est, dolorem gravativum, instantē effluxū menstruō, debere persentiri in hypogastrio cuius partem occupat uterus.

Dolebunt quoque lumbi, & coxæ; nam hisce corporis partibus situ respondent arteriæ spermaticæ, quarum ramificationes plurimæ inter duplicaturam ligamentorum uteri latorum decurrentes, hujus attingunt substantiam, fibris

que ideo uterinis inteseruntur; hinc, juxta allegatum primo loco principium, compressis illarumce arteriarum ramificationibus, quæ vim muscularis uterini textus experiri possunt, sique per eas redditio sanguinis difficultiori circuitu, alii earumdem surculi viciniores, intumescent maximè, eaque de causâ horum parietes eam pati poterunt distensionem, quæ rupturam minitetur, unde sensus doloris exorietur, referendi ad partes prædictas.

Calor ex attritu docent Physici; sed jamjam imminente menstruâ evacuatione, circa uterum, attritus summoperè adaugetur, tum propter resistentiam vasorum minus expansilium eo temporis articulo, tum propter validiorem impe-
tum sanguinis trusi ad ea magis resistentia va-
sa (2°. XXII.); ergo debet major æstus persen-
tiri, præcipue circa loca muliebria.

XXIV.

Ex dictis modò satis liquet impeditorem fieri sanguinis circuitum per uterina vasa, dum jamjam effluxuri sunt menses; porrò tunc in iis circumstantiis vires cordis insurgere docet principium secundum (XXII.), demonstrat observatio pulsus vegetoris in virginibus queis instat per uterum evacuationem menstrua; ergo causæ cor contrahentes validiores erunt, fluidum itaque nerveum ad illum principem musculum multò copiosius determinabitur; verum hoc fieri non posse evidens est, quin hujus quantitas reliquis machinæ muscularis movendis impendenda, ne-

cessariò imminuatur ; deficiet igitur ea potentia quâ partes in motum aguntur , & proinde non nisi ægrius , cum sensu aliquali renitentiæ , harum motus exerci poterunt , sed in hoc sensu difficultatis , quem experimur dum membra movere suadet animus , consistit idea lassitudinis ; ergo obrepet lassitudo spontanea , instantibus menstruis , tum totius corporis tum , præprimis femorum , propter compressos nervos femorales à distentis uteri vasis.

XXV.

Ex principiis suprà positis (XXII.) sanguinis motum ubique corporis intendi debere , tum præcipuè intrà vasa quæ sunt propagines aortæ descendantis , expendenti obices humorum per uterinos ductus transmissioni natos , stante in procinctu cruris menstrualis eruptione , liquet evidentissimè ; quid inde ? fluet itaque sanguis impetuosiùs ad cœliacam , ejusque ramos proinde ad gastricam arteriam , cuius ramifications innumeræ membranam ventriculi nerveam irrorant ; hæ igitur tunc temporis multò plus solito turgebunt , nervosque intertextos compriment inde eorum imminuetur aptitudo ad transmittendam impressionem quæ nata in ventriculo sensum appetitūs excitat , & proinde subnascetur appetitūs languor aut remissio.

Pari de causâ sanguis validiori impetu movebitur in crurales arterias , iliacarum propagines , unde fiet ut earum rami epigastrici , recurrentes sub musculis rectis abdominalibus ,

cosque sanguine irrorantes , multùm distendi
debeant , sicque tensionem abdominis inducere
facile observandam ferme in quâlibet mens-
truante.

Ex eadem epigastricarum repletione , seque-
tur major nisus sanguinis quem vehunt in eum
qui per mammarias transmittitur , uti patet ex
mutuis harumce arteriarum anastomosibus , ergò
per mammarias dabitur aliqualis obex tranatu-
ro sanguini , & juxtà principium secundum
(XXII.) ad eas potentiùs humores protruden-
tur ; quo semel intellecto , mammarum intu-
mescientia satis benè explicatur.

Faciei rubor , capitis dolores , calor per totum
corpus diffusus , febricula , ex aducto cordis
impetu facillimè deducentur , ità ut fusori ho-
rumce phœnomenorum expositioni supersedere
visum sit ; cur autem livescant palpebræ , plum-
beum quasi noctæ colorem ; quantâcumque se-
dulitatæ inquisiverimus , reperire adhucdum non
fuit tenuitati nostræ concessum ; itaque hoc
phœnomenum libenter intactum , subtilioribus
ingeniis explicandum linquere satiùs visum fuit,
quàm præcariam hujus explicationem tradere.

XXVI.

Diximus (XXI.) , quandoque , instantibus
menstruis , longe alio modo , ac fuerunt huc
usque exposita , observari phœnomena , nempe
frigere corpus , ora palleorcere , &c. sed horum
ratio ex solo defectu circulationis virium ha-
babitur , qui iterum defectus adesse poterit , vel

propter doloris sævitiem, vasa quælibet arctantem summoperè, vel ex ipsâmet nativâ constitutio-
ne debili virginum in quibus talia conspicien-
tur symptomata.

Sufficiat itaque ea explicuisse paulò fusiùs quæ magis frequenter accidunt, sicque ultimam nos-
træ dissertatiunculæ partem clausisse, cui jam sunt quæsita varia subnectenda, juxta ordinem propositum initio theseos.

Quæsita varia.

I^{um.}

Diximus initio dissertatiunculæ non unam esse physiologorum opinionem, in assignandâ fluxûs menstrui scaturigine; hanc enim alii utero, vaginæ nonnulli, quâm plures utriusque adscribunt: quid ergo sentiendum est? quibusnam ad stipulandum? ex uteri fundo præcipue sanguinis menstrualis rivulos originem ducere, vix dubitare licet attendenti ad observationem secundam & quintam (VI.); ex vaginâ, saltem frequentiori naturæ normâ, nullatenus effluere menses, docet (VI. obs. 4.); nequè multum morari debent quædam observationes contrariæ ab adversariis allatæ; nam ex iis deducitur quidem, ex vagine tubulis effluxisse catamœnia quandoque; sed numquid pariter experientia testata est, per pollicem manûs, per papillas mamma-
rum, ventriculum, pulmones, &c. viam sibi fecisse cruentem menstruum per pudenda fluere impeditum? quis ex illis rarioribus observatis

solitum

solutum naturæ ritum dederet? uti optimè notavit Graaf. de orga. muli. Tamen non negabimus frequentius, in statu præternaturali, debere menses evacuari ex vaginâ, quam ex aliâ quâcumque corporis parte; tum propter viciniam, tum maximè propter communicacionem vasorum ipsius cum uteri vasis, per anastomoses evidentissimas.

2^{um}.

Verum ulterius inquiri potest num ex solis sinuum aperturis, num etiam ex lymphaticis in quæ desinunt arteriæ quædam uterinæ (IV.) crux stiller menstruus? exeuntem leni compressione ex sinibus in fundum uteri crux, vidit sæpiissimè Littr. (VI. obs. 2^a.) maculas subrubras in fundo uteri virginis extinctæ, dum menstruam pateretur evacuationem, depingit Morgagnius; villos sanguine turgidulos habent Winslous, aliique quos apud Hallerum citatos reperire est; de fluxu menstr.... exinde deducetur per utramque viam erumpere catamœnia, credi posse, sed præcipue per sinus quos admodū distentos sanguine rubro, in menstruantibus fato functis reperit Monroe. act. Edinb. to. 2.

3^{um}.

Dum egimus de causâ determinante fluxum menstruum, illam reposuimus in distensione sinuum imprimis uterinorum, quibus etiam uterina vasa posse adjungi, satis liquet ex solutio-

C

ne secundi quæsiti: ex hoc sequitur totum, quā
periodo quālibet egeritur, sanguinem, priūs
contentum fuisse intrà uterum; porrò sanguinis
hujus copia notabilis est, quippe ad sex uncias
septemvè, ascendit in regionibus borealibus,
ad octo, novēm, decemvè conspicitur evecta
in Occitanîa, plagiisque reliquis eodem gradu
meridionalibus: numquid hæc quantitas super-
addita vasis uterinis concipi potest, absque enor-
mi horum distentione? ità certè, ut sequenti-
bus demonstratur facillimè: nam uterus tres
pollices ad minimum longus, duos latus in ma-
ximâ sui latitudine, profunditatem habens quam
semipollex emetitur, reduci potest utcunque ad
sphæram, cuius diameter sit duorum circiter
pollicum; in iisce præcipuè, in quibus præci-
sionem geometricam nimis anxii non inquiri-
mus, neque debemus inquirere; jam verò cùm
sphæra illa sit solida (negligitur enim cavitas
uteri quæ in non puerperis solet esse exiguissi-
ma), sanguineumquè efformet solidum; quod-
nam sit ipsius pondus invenire facillimum erit;
scitur enim densitate sanguinem aquæ fermè pa-
rem esse; ergo sphæræ illius sanguineæ pondus
tantum erit, quantum sphæræ aqueæ ejusdem
diametri pondus; ast quantum pendat sphæra
aquea, cuius duo pollices diametrum metiuntur,
haud ægrè reperiet, qui soliditatem hujus, cum
soliditate pedis aquæ cubici conferet; juxta de-
terminatum illius pondus à Mariotto scilicet 70.
libras: inito autem calculo reperietur uterum,
in prædictâ suppositione, duas uncias & aliquan-
tò plus ponderare; quod quidem à priori de-

monstratum, consentit ponderi, quod Graafius experiundo reperit de organ. muliebr.

Jam supponatur sphæræ uterinæ diameter pollicis unius excessu facta major, tunc novem uncias exæquabit pondus calculo repertum; itaque ex utero sic increcente septem unciae sanguinis emanare poterunt, absque vel minimo pristini ponderis dispendio, nequè interim, vel fermè sensibiliter, dilatabitur vas quocumque sanguineum uteri, quod satis demonstrat ingens horum vasorum numerus, quæ diametris suis adauctis concurrunt ad totalis sphæræ diametri incrementum; sed ex illo utcunque rudiori calculo, satis liquet attendenti, quomodo novem, decem imò & duodecim unciae sanguinis evacuatæ, potuerint priùs intrâ uterum comprehendendi: nam hujus diameter paulò plus quam in datâ ratione creuisse supponi potest, absque evidenti nimium, vel tunc temporis vasorum dilatatione; portò ea vasa aliquantò magis solito distenta concedi posse, is facilè annuet, eadem, qui tempore graviditatis enormiter dilatari, noverit, ità ut vas admodum exile, videatur tunc arteriæ emulgentis diametrum obtinuisse, sinusque vix sensibiles alioquin, in iisdem circumstantiis manus pollicem admittere queat; uti probant omnium Authorum observationes.

4^{um.}

Adversus nostram de causâ determinante assertionem quid oggeri potest, & quidem, primo latè intuitu, satis validum; nàm supponimus

Cij

(VII.) intrà mensis uniūs spatium , à repletis vasculis , sinibusvè uterinis , ad hunc usque distractio-
nis gradum deferri fibras uteri carneas , ut ad
contractionē potenter stimulentur ; sed quotidiana docet observatio , easdē , toto graviditatis tem-
pore , novimestri scilicet , de die in diem dis-
tendi prodigiosè , absque eo quòd niti videan-
tur in sui contractionem effectu aliquali edito ;
cur itaqùè à fortiori non supponeretur insufficiēs ,
huic inducendæ contractioni , menstrualis , si ità
loqui fas sit , elongatio ?

Respondetur , 1º. notum esse omnibus vasa
uterina quæ in gravidis prodigiosè dilatantur
absquè ullo incommodo , eadem , extrà illud
graviditatis tempus ; vix notabiliter turgescere
posse , quin dolores sævissimi exoriantur , quod
inflammatio uteri docet apertissimè .

2º. Sequitur ex modo dictis , aliqualem ne-
cessariò admitti debere mutationem inductam
vasis uterihis tempore conceptūs , quâ sic dis-
tractilia summoperè reddantur ; quod & de fi-
bris carneis dici posse , nil prorsùs vetat , cùm
similem distentionem pati quoque debeant ; ne-
que hoc gratis dictum in opinionis tuendæ gra-
tiā existimetur ; quippè jampridem celeber-
rimus hujuscē l'cæi professor , (a) portionem se-
minis subtiliorem , distractilitatis illiūs causam

(a) Pars ipsiūs (seminis) subtilior quæ interiorem fibrarum
textum penetrat , nutritum ipsarum exagitat succum , dissolvit
fluxiliorem efficit : hinc fibræ uteri anteà in sese contractæ a
complicatæ , molliores fiunt ac obsequiosæ , humorumquè in-
pissatorum cedentes impulsui , sensim extenduntur , & tota ute-
substantia copiosè accipiendis , continendisquè humoribus apta ef-
ficitur . clar . Fizes de gener . p . 278 . totius operis .

esse ingeniosissimè propugnavit.

5^{um.}

Cur in mulieribus quæ temperamento bilio-
so donantur, quæ plethoricæ sunt, vitam degunt
sedentariam, aut frequentius exercent venerem,
copiosius, etiam minori periodorum intervallo
relicto, menses erumpunt? facile responsum: in
biliosis pulsus major est, celerior, & consequen-
ter intrà idem tempus plus sanguinis congeren-
di ad vasa uterina defertur; in plethoriciis prop-
ter exuperantem humorum copiam, magis, ci-
tiusque quam in aliis turgere uteri sinus neces-
sum est, ad quod urgendum facit vita seden-
taria, plethoram adaugens; quæ veneri litant
immodicè, hoc ipsomet, ad genitalia plus hu-
morum determinant, uti nemo negare poterit;
ergò patet quæsiti solutio evidentissima.

6^{um.}

Cur in gravidis non fluunt catamænia? cu-
iis carent nutrices?

Replentur quidem tempore graviditatis sinus
uterini, sed deficit vis muscularis exprimens san-
guinem per eorum orificia; quâ de causâ absit
illa vis, jam vidimus in solutione quæsiti quar-
ti, prætereà clauditur in prægnantibus uteri os-
tium; quod vulgò dicitur in gratiam solvendi
problematis, scilicet fœtum absumere materiem
hujusce excretionis menstruæ, vix fortè credi-
bile reperiet qui ad distentissima uteri vasa cir-

cā ultimā graviditatis tempora attenderit ; nām ex eā animadversione satis liquet , in utero continuò sanguinem tunc temporis copiosum adesse , evacuandum proinde , si sola copia ad illam eruptionem promovendam sufficeret.

2º. In nutricibus ; (causā vix ac nē vix quidem adhuc demonstratā) ad mammas , proindeque ad aortam superiorem uberrimè deferuntur humores ; ergo tantò parciūs ad inferiora derivabitur sanguis , distensurus vasa uterina ; undē hæc non nisi longissimo temporis intervallo repleri posse evidens est , & sic rarissimè excitabitur causa determinans effluxum menstruū ; nam nutrices , quandoque purgari pluribus observationibus compertum est ; quod si deficiat prorsūs omnis evacuatio , tunc supponi poterit ità dispositam à summo Conditore machinam humanam , ut pro diversis circumstantiis moveantur ipsius partes modo totius machinæ bono accommodatori , quâ hypothesis factâ , fibras uterinas post partum paulò validiùs solitò constrictas remanere forsan admitti poterit , ut scilicet vasa uterina sic ab extrinseco coarctata , minùs expansilia sint , sicque non remoren tur sanguinem , ad mammas utiliūs deferendum ; quidquid sit , veri amor nos fateri cogit , in syste mate plethoræ generalis ad fluxum necessariæ , hujusce phœnomeni rationem evidentius dari , sed tot sunt quæ illam hypothesis penitus destruant , ut vix adiunitti posse crediderimus ; quod spectat ad plethoram particularem , in eorum scilicet opinione qui credunt sanguinis effluentis causam esse , ipsum cruxrem congestum in-

trä uterum; eos eadem ac nos urget difficultas.

7^{um.}

Plurimi inter antiquiores Medicos non modò copiâ, sed etiam qualitate sanguinem menstruum peccare, variis rationum momentis, pluribus in medium adductis observationibus propugnare aggressi sunt; numquid sentiendum cum illis, nec ne? omnes uno ore recentiores negativè respondent innumeris experimentis convicti, eamdem præ se ferre indolem, qui per pudenda excernitur, sanguinem, quæ observari solet, in reliquo crurore vasa sanæ mulieris irrorante, non ideò negant, sanguinem diutius retentum intrà ergastula uterina tandem iis posse infici vitiis, quæ nonnullos effectus pravos inducant, quos concedunt in iisce morbosis casibus, deprehendi potuisse ab antiquissimis Medicis, & Philosophis.

8^{um.}

Quænam est effluxus menstrui causa finalis? duplice sub respectu considerari potest illud quæsum, quippè vel inquiritur, quem ob finem summus Opifex ita voluerit disponi mulierem machinam, ut statis mensium intervallis sanguis erumperet, vel cui bono mulieris extrà prægnationis tempus sese prodant illæ excretiones menstruæ?

Iº. Respondetur intrà uterum debuisse fœtus humanos incrementum capessere, & quidem

per novem menses, itaque paranda fuisse veluti conceptacula, ex quibus illi mediantibus placentæ radiculis sufficientem haurire possent succum nutritium, & exinde spongiosam sinuosam uteri fabricam, huic fini accommodatissimam esse satis patebit; porrò illâ semel datâ fabricâ, congestionem sanguinis intrâ uterum, proinde causam effluxum determinantem necessariò sequi, nemo non videt.

2°. Sanguinem propriâ uteri fabricâ detentum in ipsius vasis, fermè stagnantem, putredini obnoxium, saltem viscositati aptissimum, debuisse expelli antequâm hujusce modi vitiis inquinari potuisset, valdè muliebri machinæ nocituris, satis superque patet; ergò sapientissimè fuit institutum, ut sanguis ille menstruatim congestus evacuaretur; & exinde sanitas mulierum non prægnantium exurgit, docente experientiâ quotidiana; itaqûe fluunt menses in mulieribus non gravidis, eum in finem; ut innumeris liberentur morbis, quibus alioquì viverent obnoxiæ.

9^{um}.

Sed demùm redi ratio debet cur brutorum femellæ fluxum non experiantur menstruum?

Respondet Hallerus (a) iis duriora esse vas uteri, neque ita dilatabilia, ut arteriosum sanguinem recipiant, idque demonstrari comparatione spongiosi uteri fœminæ, cum musculo, & fibroso musculo brutorum, & carente sinu-

(a) De menstruis.

bus; tūm cotyledonum indole, quæ lacteo suc-
co absque sanguine turgent, &c. cui quidem
responso clarissimi viri lubenter assentimur no-
tando interim plures esse authores qui statis an-
ni temporibus etiam brutorum fœmellas purgari
contendunt. Hāc super re videatur Haller. loco.
citato.

Quod si verū sit simias mensibus quibus li-
bet sanguinem perpudenda excernere, id certè
tribuendum perfectæ hujus uteri cum muliebri,
similitudini, quam demonstravere parisienses;
act. acad. to. 3°.

Plurima alia prægressis postulata potuisse sub-
necti, facile liquebit catamæniorum historiam
perpendenti, sed hæc vel levioris sunt momenti,
vel altioris indaginis, quam ut arctis theseos limi-
tibus comprehendi potuerint; præterea de iisce
forsan occasio differendi altera præbebitur, dūm
de fluxu menstruo pathologicè considerato trac-
tabimus.

De cætero monitum volumus lectorem be-
nevolum, nos in hac dissertatiunculâ novitatî
minimè ex professo studuisse; quod si quædam
reperiat dicta à nemine, hæc pro nostris assu-
memus; reliqua lubentissimè suis linquemus
authoribus, quos citare omnes memorix lapsus,
non verò sibi aliena affingendi libido, certissi-
mè præpedivit; insuper ex hac nostrâ opellâ
aliquid utilis fluere posse in rem medicam, in
tantum credimus, in quantum feliori numi-
nis afflatu beati quam plures alii, vestigia hac-
tenus trita nimis forsan incitatè relegent, nos-
traque vel probabunt, vel saltem firmioribus,

quàm hucusque factum est, rationum ponderibus quæ proposita fuerunt à nobis , evertente & antiquiora dogmata propugnabunt ; quod si fiat , cum iis à nobismet ipsis lubentissimè, dissentiemus , unicum veritatis iter calcare studentes.

FINIS.

ERRATA.

PAG. 2. lin. ult. qui , leg. quæ. pag. 9. lin. 16. hymenæ , leg. hymene. pag. 12. lin. 21. apparent , leg. apparer. pag. 17. lin. 4. dele est. pag. 18. lin. 16. ex in , leg exin. lin. 23. corumdem , leg. earumdem. pag. 25. lin. 21. inergiam , leg. energiam. pag. 27. lin. 21. purgantia , leg. pongentia. pag. 28. lin. 17. hinc , leg. tunc. &c.

Cetera Lector benevolens emendabit.

